

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XVII. Qualiter unum cum dilecto est effecta, et de amore.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

## CAPUT XVII.

QUALITER UNUM CUM DILECTO EST EFFECTA, ET DE AMORE.

**I**TEM cum in oratione, ferventi corde, dilectum animæ suæ desideraret, subito divina virtus animam ejus in tantum sibi attraxit, ut videretur sibi ad latus Domini consedere. Dominus vero animam Cordi suo per dulcem amplexum imprimens, tam abunde sua gratia eam perfudit et replevit, ut sibi videretur de omnibus membris suis tamquam rivulos effluere in omnes Sanctos, ita ut omnes novo et speciali gaudio perfusi, corda sua velut lampades perlucidas in manibus tenerent, repletas dono illo, quod Deus animæ infuderat, et cum magna gratitudine et lætitia Domino pro anima illa gratias referebant.

Deinde vidit in corde Dei quasi virginem pulcherrimam habentem annulum in manu, in quo erat lapis adamas cum quo sine intermissione cor Dei tangebat. Anima vero interrogabat virginem cur sic cor Dei tangeret; quæ respondit: « Ego sum amor divinus, et hic lapis Adæ culpam designat: et sicut adamas absque sanguine frangi non potest, sic Adæ culpa sine humanitate et sanguine Christi dissolvi non poterat. Statim enim ut Adam peccavit, ego me intromisi, et culpam illam totam intercepi; sicque cor Dei incessanter tangendo et ad pietatem movendo, ipsum quiescere non permisi, donec in momento Filium Dei de corde Patris in sinum deposui Virginis Matris. Quæ dum montana conscenderet ut Elizabeth salutaret, beatus Joannes tanto gaudio in utero matris ad Christi præsentiam est repletus, ut nunquam de cætero terreno gaudio posset exultare. Deinde

Statim ut  
Adam  
peccavit,  
amor se  
intromisit  
cor Dei  
tangens.

Filiū Dei in præsepio pannis involutum reclinavi; ex hinc in Ægyptum deduxi; post hæc ad omnia quæ pro homine fecit et sustinuit, ipsum inclinavi, donec patibulo Crucis eum affixi, ubi omnem iram Patris mitigavi, et hominem Deo amoris fœdere indissolubili copulavi. »

Et anima: « Dic, quæso, quid in omnibus quæ pro nobis pertulit Christus, maxime doluit? » Amor respondit: « Quod in Cruce extensus fuit, ita ut omnia membra ejus divaricari possent. Quicumque pro hoc dolore illi gratias egerit, ita gratum ei obsequium præstat, ac si omnia vulnera ejus unguento suavissimo deliniret. Si quis etiam pro siti qua in Cruce hominum sitiebat salutem gratias egerit, ac si ejus sitim refrigeret acceptabit. Qui vero illi gratias agit, quod clavis confixus in Cruce peperit, tam gratum illi erit ac si eum de Cruce et omnibus pœnis solveret. »

Dolentis  
in cruce  
Christi pia  
recordatio.

Dixitque iterum amor ad animam: « Intra in gaudium Domini tui. » In hoc verbo totaliter in Deum raptæ est, ut sicut aquæ stilla infusa vino, tota mutatur in vinum, ita hæc beata in Deum transiens, unus cum eo spiritus est effecta. In hac unione anima in se annihilabatur; sed Deus eam confortans ait illi: « Omnia quæ unquam homo capere potest tibi infundam, et in quantum homini possibile est, dona mea in te multiplicabo. » Erit amor: « Hic quiesce pausans in Corde dilectoris tui, ne inquieteris in prosperis; ibi quiesce in remembrance beneficiorum dilecti tui, ne unquam inquieteris adversis. »

Amor  
animam  
quiescere  
jubet in  
Corde  
dilectoris.